



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1644. usque ad annum 1651

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119177

§. 120. Quædam Sacrarum Congregationum decisiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67359)

Sæc. XVII. ex cujus decretis notabilia adduce-
A. C. 1651. mus, & primo quidem statutum, ut
 publicæ supplicationes, quarum usus
 & finis commendatur, quidem sæpius
 haberentur, nunquam tamen virgines,
 nisi intra civitatem suam, ad eas invi-
 tentur, nec illæ S. Reliquias, imagi-
 nes, vexilla &c. circumferant, nec e-
 tiam SS. Eucharistia, a Viris curru
 vel equo insidentibus deferatur, longe
 autem ab ejusmodi supplicationibus
 tympana, strepitus profani, choreæ,
 & commessationes arceantur. Prohi-
 bitum quoque sub pœna gravissima, ne
 ullus tabaccum ante Missam vel S. Com-
 munionem ore, naribus, vel fumo su-
 mat. Consultum etiam censet Syno-
 dus, ut Parochi populo denuntient,
 hunc vel illum ad S. Ordinem aspirare
 eo fine, ut si in titulo Patrimoniali fraus
 vel lis, vel circa natales, ætatem aut
 confirmationem vitium aliquod inno-
 tesceret, populus manifestaret, & Pa-
 rochus quandoque populo exponeret,
 quinam a Sacris Canonibus initiari
 prohibeantur.

§. CXX.

*Quædam Sacrarum Congregationum
 decisiones.*

Hoc

Hoc item anno Sacræ Congregationes Romanæ pro restauranda disciplina, abrogandisque corruptelis quædam decreta condidere, & quidem die vigesima sexta Maij a sacra Episcoporum Congregatione decisum, Episcopis non licere, ut declararent, quod Regulares non possint in Paschate sæcularium confessiones excipere sine licentia proprii Parochi, die autem vigesima octava Martii Innocentius X. in Congregatione propagandæ fidei præposita decrevit, quod Episcopi præfatæ Congregationi subordinati non possint exercere Pontificalia in aliis, præterquam in propriis Ecclesiis, etsi esset de consensu Ordinariorum, dummodo a dicta Congregatione non sint in certo loco destinati Vicarii Apostolici, seu Administratores alterius cujusdam Ecclesiæ; die quoque tertia Junii a Congregatione S. Concilii declaratum, quod *Abbas nullius*, exercens Jurisdictionem quasi Episcopalem in locis sibi subjectis, possit in iisdem propria auctoritate Pontificalia exercere, ad formam Privilegiorum, Benedictinorum, & non communicantium, denique die vigesima ejusdem Mensis S. Immunitatis Congregatio decidit, quod, qui aliquem indebite extrahunt, & loco immuni custodes apponunt, sint excommunicati.

Sæc. XVII.
A. C. 1651.

Decis. Sacr.
Cong. Episc.
rit. Concil.
Etc.